

olim Decanum Viennensem et Capellanum nostrum domesticum, qui cum multis beneficiis a nobis liberaliter affectus sit, eas nobis referat gratias, ut Nos et Serenissimum Principem Dominum Maximilianum Regem Bohemiae etc. Filium nostrum charissimum ac ministros nostros et praecipue Venerabilem Episcopum Gurensensem, Concionatorem nostrum non revereatur graviter vituperare et traducere, sicuti Paternitas Vestra Reverendissima a Consiliario et Oratore nostro nobili fideli nobis dilecto Francisco Libero Barone de Turri latius cognoscere poterit, Quae quidem sacerdotis illius perversitas et ingrati animi malignitas cum sint pessimi exempli, nec ullo modo tolerari debeant, dedimus proinde negotium praefato Oratori nostro, ut diligenter inquirat, an ille ita indigne ut nobis est demonstratum, nos filiumque nostrum proscindat, Quod si verum esse comperit, consilio et auxilio Paternitatis Vestrae Reverendissimae omnes vias et rationes ineat, quibus efficere possit, ut tanta hominis temeritas serio cœrceatur. Quocirca a Paternitate Vestra Reverendissima benevole petimus, ut pro suo erga nos candido et praeclaro studio non gravetur in hac re dicto Oratori nostro adesse. Quod cum sit ab aequitate non alienum, fecerit etiam nobis Paternitas Vestra Reverendissima rem in eo gratissimam, eidem benevolentiae nostrae Caesareae studiis compensandam.

Datum Viennae die 8. Decembris 1559.

In simili ad Cardinalem Tridentinum.

### Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,  
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn,  
ejusdem coenobii Religioso et postea Abbate.

(Conclusio.)

Cajum Caligulam memorat Seneca, cum ob repentinam aëris intemperiem splendidissimo apparatu indicta spectacula exhibere non posset, in eam sacrilegae mentis insaniam erupisse, ut vibratis in altum sagittis Jovem ipsum in certamen pugnamque devocaret, horrendum inclamans: »aut tolle me aut ego te!« Quanta dementia! Subjungit philosophus: »putavit aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse!« Non minor quoque dementia Trevirici nostri Caligulae fuit, qui, dum execrabile impij animi decretum in exurendis Apostoli Matthiae reliquiis exequi de coelo prohibitus fuisset, et ipse ardentibus furiarum taedis exagitatus taliter exarsit, ut mentis impos iraque furens vel ipsi Coelorum reginae laureatoque Trevirorum martyrum senatui nefarium omnique odio imbutum bellum indicere atque

ad duellum quodammodo provocare non dubitaret simulque in coelum cum impio Caligula vociferaretur: »aut tolle me, Maria, aut ego te.« Et quamvis has voces forte non eructarit Cajus hic noster, ausim tamen libere affirmare, hujus in Deiparam blasphemias nequiores longe sceleratioresque fuisse, cum Romanus ille simplici duntaxat voce Jovi exitium intermineretur, Treviricus vero adhibitis insuper teterrimis execrationibus horrificisque juramentis daemone seipsum saepius quoad corpus et animam devoveret, nisi ea ipsa nocte Sanctam Mariam ferro flammaque everteret. Et audi diras execrationes. Obfirmato jam in exitium animo inter ultimas noctis tenebras turbidus ad forum provolat, erupturum secum militem advocat, tum ad confertam equitum peditumque multitudinem: Commilitones, ait, a succendendo D. Matthiae coenobio praestigiis nequitiisque prohibiti sumus. Sed agite nunc una mecum, per nigram portam erumpite, nemo nobis ultra illudet; nisi enim S. Mariam injectis facibus conflagrantem funditusque eversam videro, opto voveoque, ut Diabolus me protinus auferat elisisque faucibus ad inferos deportet. Atque haec furiata mente elocutus cum nefario agmine incedebat sensimque ad portam S. Simeonis, quae diruta tot loca sancta respicit, simulque ad tragicum sui ipsius interitum appropinquabat . . .

Iam impleverat ille nefariorum scelerum mensuram atque idecirco ab offensis tot coelitis secundum duritiam cordis sui deposcebatur ad poenam, trahebatur ad praecipitium; desaeviebat ea nocte periculosa per vicinos Trevirorum agros tempestas, quae, cum praeter solitum inhorrescens non jam singulas arbores, sed integras fere alicubi silvas revulsas a stirpe vi ventorum fulminisque impetu prosterneret, inusitatum etiam horridumque aliquid protendere illudque Augustini: »Deum excipe pluentem et time tonantem,« Vignorio grandi tonitruum voce inclamare videbatur. Sed nihil ille moratus hanc coeli vocem inter conduplicatas fulgurum coruscationes, inter fragores tonitruum, horrendam ardentium nubium collisionem ibat; transgressus jam veterem S. Simeonis portam ad extracti a se propugnaculi pontem sublicium pervenerat, cum veluti loco defixus Vignorii equus non ultra velle progredi, sed subsistere oblectari fraenis et calcibus demumque totus retrogredi; Balaami illius asinam diceret, quae non jam unum Angelum, sed integras coelitem cohortes stricto contra se mucrone consistentes intueretur. Sed bruta animante magis brutus Treviricus hic Balaamus dum furens fremensque ultra progredi nititur, ecce tibi, post minacia dehiscens coeli fulgetra, post explosa immani fragore tonitrua, ruptis violenter nubibus atque ignito ardore vibrantibus erumpit subito fulmen insanoque capiti totum incumbens afflatum Vignorium repente ferit atque infelicem hanc fulminantis irae Dei victimam, reliquis omnibus intactis, e

ponte in subjectam fossam horrendo casu prosternit; equus, freno pavoreque in eandem ruinam protractus, cum supina corporis mole prolabenti Vignoris incubisset, ipse quod mirum nil laesus hominem ita contrivit, ut ruptis praecordiis, fractis novem costis, eliso capite quassatoque penitus corde, pilo in mortario contusus videretur. Cadaver primo in electoralem aulam deportatum exsectumque et ceu porci cujusdam sale et pipere conditum est; dein silente aere campano, cujus ille usum antea interdixerat, ad metropolitanam ecclesiam delatum, cum ob tetram fuliginem spectantibus graveolentamque mephetim etiam procul dissitis horri horri esset, circumstiteret tamen nocte diuque religiosorum aliqui ac ad feralem emortui tyranni urnam vigilare, immo etiam, si superis placet, requiem, quam ne a morte quidem religiosus indulgebat, apprecari irrequietis Vignorii manibus sunt compulsi.

Successit in defuncti locum sacrilegiorum omnium conscius particepsque urbis Major Bouillius, qui reducto ad pauciores laborantium ecclesiasticorum numero, dum et pro his saeculares substitui operarios patitur, in homines quidem aequior, in Deum tamen coelitesque Vignorio non minus sacrilegus fuit. Siquidem hujus ipse vestigia secutus, cum, Uhrensi supra urbem vico<sup>1)</sup> pridie ignibus deleto, ad Tertium Idus Augusti delectis equitum peditumque turmis comitatus erumpere plena luce in S. Mariae ad Martyres monasterium incendiaque spargere decrevisset, rejectus a Trevirico, qui ad navalis istic pontis praesidium substiterat, milite ita infremuit, ut ad succendendum, quae grassantibus late flammis in pago Uhrensi una supererat, D. Helenae imperatricis ecclesiam protinus ex urbe audacissimorum incendiariorum globum destinaret. Ast magno haec illi in Augustam Trevirorum patronam impietas stetit. Cum enim festo S. Helenae die post octiduum urbis munimenta aggeresque obequitans militum pro moenibus stantium niveo sublimis in equo lustraret excubias atque ex imperantibus gestibus magnum aliquem suspicarentur ballistarum caesarei, librato ex montis Martii jugo grandioris tormenti globo ea, qua sedebat corporis parte, una cum equo tactus usque adeo foede diruptus discerptusque est, ut percussis per aërem intestinis evibratisque longe artibus cruenta decendialis hujus gubernatoris membra conquirere hinc et inde ad Libitinam pollinctores cogentur . . .

Sic tandem cecidere, sic periire duo illi Trevericae urbis tyranni, iconoclastae, theomachi, Vignorius ac Bovillius, eodem lethi genere, pari fulminis impetu ad inexorabilis iudicis forum raptati, in formidabili tot adversantium accusantiumque Trevirorum Sanctorum consistorio una cum consiliorum omnium

<sup>1)</sup> Euren, Dorf, eine halbe Stunde von Trier entfernt.

excidiorumque architecto Turenio, qui et ipse tormenti globo ante mensem eodem abreptus fuerat, de sacrilega biennalis imperii tyrannide dijucandi. Tu interea, amice lector, dum fatalis in Gallicos hos triumviros ex tremendo numinis solio fulminatur sententia, tragicum hoc vindictae divinae exemplum tibi excidere non sinas, et terribili horum supplicis edoctus disce non temnere Divos illudque Sapientis monitum alte in animum dimitte: Ne dixeris, peccavi et quid mihi occidit triste? Altissimus enim est patiens redditor; subito veniet ira illius et in tempore vindictae disperdet te. (Eccles. 5.) . . .

Dum hac ratione Nemesis divina in nefaria sacrilegorum capita ultrices per Treverorum metropolim flammis spargit, Francia interea mareschallus de Crequy, qui cum lectissimo decem vel undecim millium exercitu obsessis nequicquam subsidio venerat, ad Treverorum Tabernas memorabili a Caesareis proelis caesus<sup>1)</sup> per furtivas noctis tenebras, Lotharingum equitem professus, ex cruento feralis pugnae naufragio sese in turbidum Trevericae litus ejecerat, propugnaturus eandem ad ultimum usque spiritum adversum victrices Caesareanorum copias, si plures in urbe Crequius reperisset. Verum cum praesidarios isthic milites pro voto parum obsequentes fugitivus hic Francia mareschallus experiretur, veritos nimirum, ne et ipsi Germanorum acinacibus mactandi jugulandique ab eodem objicerentur; eorum sibi animos oblato liberaliori vini haustu demerendos ratus, sacrilegorum quorundam persuasus consilio, quaterna in singulos obsidionis dies vini planstra, uni Treverico clero ad Vignorii ingenium imperat novus Treverorum Dictator. Sed ne in communi hac cleri totius aerumna sua pro more extraordinaria calamitas deesset Maximiniani patribus, effecit Treverorum quorundam Maximiniano ursu<sup>2)</sup> implacabiliter insidiantium maligna aemulatio, immortalesque invidiae faces, quibus accensi ipsi Marchionem etiam, cetera benevolum et congregationi huic non male affectum,

1) Die zur Entsetzung der in der Stadt Belagerten heranrückende französische Armee wurde am 11. August 1675 von den vereinigten kaiserlichen und reichsfürstlichen Truppen in der Ebene, die sich zwischen der Saarbrücke bei Conz und dem Dorfe Tawern (Tabernae) auf dem rechten Moselufer ausdehnt, in glänzendem Siege auf's Haupt geschlagen. Marschall Crequy, welcher die Franzosen befehligte, wusste von Saarburg aus, wohin er sich nach der unglücklichen Schlacht geflüchtet hatte, mit einigen Begleitern des Nachts nicht ohne grosse Lebensgefahr in die Stadt einzudringen, wo er das Commando übernahm und den Widerstand gegen die Belagerer auf's Aeusserste fortsetzte, um, wie er hoffte, die bei der Conzerbrücke erlittene Scharte wieder auszuwetzen. Die Schilderung dieser Schlacht ist zu lesen bei Stramberg, Rhein. Antiquarius III. Abthlg. 6. Band S. 338—366 und im Theatrum Europaeum.

2) Der hl. Maximinus wird der Ikonographie nach mit einem Bär abgebildet. Der Grund hiervon liegt in der Legende, die bei Diel, der hl. Maximinus u. s. w. S. 85 mitgetheilt ist.

sinistris suis informationibus eousque perpulerunt ut quod clero universo imperaverat, jam a solis Maximinianis deposceret, miserique hi patres aemulorum fraudibus circumventi. cum nec resistendi nec mareschalli adeundi facultas daretur, viginti quinque, quae una supererant, vini plaustra necessitati propriae subtracta ad explendam gallicarum voraginum ingluviem contribuere intra sex dierum spatium cogentur.

Sed quo suo tandem demerito, inquis, primi ubique in tolerandis executionibus, in accipiendis cladibus infelices S. Maximini patres? quod tantum religiosae hujus congregationis nefas aut in Gallicum nomen flagitium? quae Gallis in hos atrocius quam in reliquis desaeviendi causa? Variam ex ipsorummet Francorum relatione accipe, mi lector, innoxiiisque religiosis compatere.

Vignorius Bouilliusque, jurati S. Maximini hostes, quo nativum exuberati pectoris virus tegerent, clandestinum Revmi Dni Abbatis ad Lucilburgenses a Trevis abitum <sup>1)</sup> ceu odii fomitem intusabant; sed nequiter, cum non minus praesenti ante quam absentem post discessum primas semper eidem clades honoris causa scilicet detulissent. Alius in hoc ulcere latebat unquis; destinaverant jam hunc Revmum praesulem in Gallias pro Treverico clero obsidem atque idcirco maluissent eundem in Metensi potius carcere sibi obnoxium, quam in Lucemburgica urbe liberum videre. Crequius certe, utpotè istiusmodi fugae ignarus, non ea de causa postrema hac calamitate Maximinianos patres obruit adeoque alia investiganda; quam Francorum milites subalternique duces in amplissimi Imperatoris imperiique Romani odium referebant, cujus victrices bicipitesque per imperialis monasterii amplissimum ambitum passim prostantes Aquilas imbelles hi Galli aequo aspicere oculo non poterant, cumque trisulco Augustalis illius Aquilae fulmine terrentur unguesque pertimescerent, bilem omnem in Maximinianos impotenter evomebant. Verum ut hic imperii titulus Aquilarumque Augustalium conspectus nonnihil efferaverit gallinaceos istos, non tamen diuturni usque adeo odii, quod etiam jacente ipso monasterio in funesta toties ebulliret incendia, fomitem subministrasse videtur. Quid igitur causae? Verbum supra ipsissimum insinuavi specialis hujus in S. Maximinum odii fomitem possetque adductis Gallicorum procerum testimoniis ipsiusque adeo mareschalli Crequy generosa confessione demonstrari, nisi amicorum pariter et aemulorum invidia foret pertimescenda, quam

<sup>1)</sup> Die Abtei St. Maximin hatte bedeutende Besitzungen im Luxemburgischen Lande, wesshalb der Abt Primas der dortigen Landstände war. Der Herzog von Luxemburg war Vogt des Klosters. In dem maximinischen Refugium zu Luxemburg hielten sich die Maximiner Mönche oftmals auf, wenn das Trierische Land von Kriegsunruhen heimgesucht war.

ut declinem cum poetarum oculo per transennam ingemiscens :

Mantua, vae miserae, nimium vicina Cremonae! Tandem ad explicandam gallicae tragoediae cum sardonico Germanorum plausu catastrophem descendo.

Jam Caesarei ad calendas Septembris pleno die propugnacula simul omnia ad Orientem Hispanorum<sup>1)</sup> praecipue hortatu virtuteque occupaverant; jam septendecim disiectis turibus moenia per quattuor ingentes hiatus, complanatam geminis cuniculis fossam, equitibus peditibusque non difficili aditu patebant; jam stabant accinctae ad aggressionem lectissimae ex omni exercitu cohortes, cum Crequius sollicitè circumspicere de asylo coepit, ad quod irrumpentibus in urbem Germanis se suosque recipere atque adversus incursantium vim tutari posset, delectis interea incendiariis, qui ante postremum Gallorum hunc receptum sparsis passim per urbem flammis victoriae fructum simul Caesareis adimerent ac implacabili Gallorum in Treviros odio parentarent; fuit hoc atrox barbarumque nimis in marechallo Franciae consilium, urbem per mille jam calamitates plusquam eversam tristi ad ultimum incendio devovere, cum non dubio tot innocentium interitu. Illud etiam in christianissimi regis legato prorsus sacrilegum ac impium, quod, cum alia per urbem suppetenter loca, metropolitanam ecclesiam cum adjuncta nobilissima Deiparae basilica pro refugio militari delectam usque adeo abominandis sordibus profanavit, ut vel ipsi acatholici christianissimae hujus gentis in suae religionis ecclesias barbaram impietatem palam execrarentur. Et profecto luctuosa erat miserandaque per gallicas has furias metropolitanae aedes facies, cum et foris defixis per circuitum palis castrorum in morem undique esset praestructa et intus eam immundissimarum sordium caperet illuviem, ut jam non Augustum illud ex S. Helenae imperatricis palatio structum templum, sed sordidum brutorum animantium stabulum esse videretur. Fuit ea hactenus metropolitanae hujus ecclesiae religio, ea loci sanctitas, ea ob inconsutilem Christi tunicam rarissimamque sacrorum pignorum gazam veneratio, ut non tantum ex remotissimis Europae partibus exterae nationes huc confluerent, sed et ipsae rationis expertes aves loci majestatem revererent. Ab eo enim tempore, quo laudatissimus ille, ex monastica S. Benedicti disciplina, Treverorum archiepiscopus

<sup>1)</sup> Die Belagerungsarmee bestand nahe aus 30,000 Mann und zwar: Lothringer unter Herzog Karl IV., Kaiserliche unter Marquis von Grana, Spanische unter von Louvigny, Trierische unter von der Leyer, Lüneburgische und Osnabrückische Truppen unter dem Herzog von Lüneburg und dem Bischof von Osnabrück, Münsterische und Kurmainzische Soldaten unter Granvillier.

Egbertus<sup>1)</sup> hirundines, ne sacra sordibus perfunderent, exesse jussit, earum nulla ad nostram usque aetatem vastum caetera patensque templum subire visa est, quae non e vestigio mortua prolaberetur; sed immundis irrationalibusque hirundinibus turpiores impudentioresque gallicae hae upupae templum omne ita coeno sordibusque spurcissimis oppleverant, ut non sacrum ecclesiae pavimentum, sed putridum fimetum calcare te crederes. Comportabatur huc omnis apparatus bellicus veluti ad urbis armamentarium, advehebatur jumentorum pabulum ceu ad equile, annonae commeatusque omne genus congregabatur veluti ad castrum penarium. Luctuosum erat audire, funestum videre, cum pro laudibus divinis in augusto choro perstreperent horrida blasphemantium vota, cum in subterraneis templi cryptis piorum ad coelites gemituum loco ebriosorum striderent ructus ac super ipsas sanctorum tumbas abominanda spurcicies redundaret. Ubi nullius antea nisi verbi divini praeconis aut christiana supplicantium vox audiebatur, jam gladiatorum fremitus, tympanorum murmura, tubarum clangores resonabant . . . Furentes equos in postrema hac abominatione desolationis, non misello alicui mendiculo sed ipsi Patris aeterni Verbo praehabitos atque ad tremenda altaria ligatos ex iis ipsis sacrosanctis aris pabulantes cum horrore conspeximus, in quibus suam toties majestatem hostiae umbella tectam reclinaverat Dei filius! Quid? quod et ipsam principem metropolitanae ecclesiae aram brutorum pabulantium sordibus funestare non dubitarunt, ex qua dum primarii ducis nobilis equus avenam cum intolerabili divinae majestatis probro vorat, ruptis subito visceribus exanimis cecidit et postero die cum pertranseuntium fastidio canibus praeda jacuit parumque abfuit, quin etiam (quod de Antonini imperatoris equo memorat Capitolinus) in profanato Trevirorum vaticano tuumlareretur.<sup>2)</sup>

Quod de Pompejo Magno referunt historici, ut post conversum Jerosolymitani templi atrium in equorum stabulum nil unquam postea eidem prospere evenerit, idem de Crequio post atrociem hanc metropolitanam Trevirorum aedis profanationem aequissimo irati numinis Caesarumque coelitem judicio usu venit, ut, qui horrendis ejusmodi sacrilegiis in Deum pervicax scelera-

<sup>1)</sup> Von Erzbischof Egbert (977—993) geht die Sage, dass er durch die Macht seines Wortes die Schwalben aus der Domkirche für immer verbannt habe.

<sup>2)</sup> In dem oben angeführten Auctarium historiae schreibt der Augenzeuge pag. 22: „Wir sahen einen Grauschimmel eines Offiziers am Hochaltar angebunden und auf demselben Futter fressen, der in der folgenden Nacht crepirt und den Hunden am andern Tage vorgeworfen worden ist. Wir sahen den Fussboden zerstoßen und mit Pferdemist beschmutzt, so das die Lüneburgischen Soldaten (protestantischer Confession) sagten: Solches verüben die Soldaten des allerchristlichsten Königs; wenn solches von uns geschehen wäre, würde man uns Antichristen nennen.“

tusque esset, nec homines de caetero sibi obsequentes haberet; non enim fallit, qui per Sophoniam contestatur: visitabo super omnem, qui implet domum Domini iniquitate . . . Ab hoc certe postremo in principem aedem sacrilegio uno simul impetu Gallorum in Trevirorum metropoli res in pejus ruere ac retro collapsa referri, cum praesidarii, intestinis discordiis conflictati, non clam modo sed palam tumultuantur, declinant praeparatum a Crequio asylum, urbis flagitent deditionem, renuentique non in faciem duntaxat obsisterent, sed et strictis ferociter mucronibus interminarentur, ni legatos pro pace ad discedendum ex aequis legibus ad Germaniae proceres mitteret; verum dum tergiversatur Crequius allatisque ex Caesareanorum ducum castris conditionibus, quibus ipse cum primariis ad captivitate[m] deposcebatur, subscribere recusat ac praesidarii interea conglobati in foro abeundi facultatem anxie praestolantur: sub offensi hac Crequii detrectantis mora Germani milites citra ducum suorum imperium per apertas moenium ruinas repertosque in fossa occultos aditus paulatim in urbem irrepunt effractaque S. Simeonis porta exspectantem maximiniana inter paulinianaque rudera equitatum admittunt, ac indensato omnes agmine recta in forum progrediuntur trepidantemque, ne hiscere quidem contra audentem gallici praesidii stationem invadunt. Hic vero quid porro actum sit, ne minus religiose insultare hostium calamitati videar, ab aliis quam a me discere te malim, lector, cui nostrum tamen de tota hac biennali Francorum tyrannide iudicium unica linea circumscriptum amice communicare ac universi hujus antichristianismi quamdam quasi epitomen coronidis loco subicere visum fuit: audi, lector, salve et vale!

IntrarVnt

Latenter treVIros Vt VVLpes,  
regnarVnt

Insane Vt trVCVLentl Leones;  
eleCtl sVnt

tVrplter Vt spVrClssIMI Canes.

## Mittheilungen aus dem Admonter Archive.

Von P. J. Wichner.

(Schluss von Jahrg. VI. Heft 3. S. 147—159.)

### Cistercienser.

Frauenbrunn. 1633 Fede<sup>1)</sup> für Blasius Ekhard ausstellt von dem Abte Rupert.

Neuberg. 1333 Albrecht der Auer gibt dem Kloster Neuberg ein Haus beim Friedhofe zu St. Stefan ob Leoben. —

<sup>1)</sup> Fede nannte man zur Zeit der Infectionen die Gesundheitspässe. Frauenbrunn war bei Landstrass in Krain.